

vota iamdum nummis adscribi defierint, & ipsa tandem festa *votorum quinquennialium*, quod paganissimum redolere sint visa, coeperint abrogari, *vota quinquennalia* reiecta prorsus cupiam & abrogata? Christiani qui sumus, gentilium ritus Christiano solum more seruamus. Calendis etiam Ianuariis nata apud Romanos vouenditudo-
 nandique consuetudo quod hodiernum cum sexcentis aliis retinetur: num *quinquennalia vota* & *votorum quinquennialium* nomen spernere, oporteat omnino? Minime gentium! Nata sane secundum haud paucos est ex *quinquennialibus Romanorum votis* acclamatio illa: *πολυχρόνιον! πολυχρόνιον!* Et numquam praesenti negotio posset esse aptior & accommodatior, quam haec, qua *πολυχρόνιον* ex *πολυχρονίω* **NVTRITORIBVS SERENISS.** voueamus, lisdem, *votorum veterum quinquennialium* ductu laudabili, accinamus: **FELICIA. FELICISSIMA. FELICITER?** Vsque adeo *vota*, quae per Gregorianos dies *quinquennii* proxime elapsi facta sunt, *quinquennalia vota* Ill. *Gymnasii Schleusingensis* appellare non veremur. Siue, quod *quinquennium* iri superatum aliquando, magnopere speravimus: siue, quod modo allegata *vota quinquennalia* Romanorum vtramque semper fecerunt paginam. *Lustrum* & *quinquennale tempus* conditur, *quinque annis* ab auspicio *Rektoratus* mei feliciter, quae *DEI* gratia est, praeterlapsis. Hac vero tempestate nisi diuinorum beneficiorum & Principalis in *Gymnasium* amoris, vel, vt paucis absoluam, **FORTVNAE GYMNASII QVINQVENNALIS** solenni ritu modoque recordarer, nae ego ingrattissimus omnium forem, & periculofam iuuentuti proderem exempli imitationem.

Neque impedit, nobis quoque cum *aduersa* conflictandum fuisse *fortuna*, quemadmodum has fere vices conditio mortalium seruat, vt ex secundis *aduersa* nascantur: prauealuit enim secundior tamen eventus, & in ipso calamitatum insultu *DEVS* deprehensus est rerum nostrarum *Arbiter*, cuius ope & auxilio aerumnae sunt exantillatae, & laetior tandem internituit rerum exitus. Fuit, quod non diffitemur, *Gymnasio* nostro *aduersa fortuna*, eademque cum tota regione *Hennebergica* communis: ex obitu *illustrium personarum*, & periculo vno itemque altero **SER. NVTRITORVM** *domibus* oblato, cuius rei vel testis esse potest *oratio parentalis* a me *Rectore* habita & infra alleganda: ex immaturo interitu *Assessorum* in *Synedriis sacris Principalibus*, quos *Meininga*, *Ciza*, & *Vinaria* (hoc enim ordine mors fecit) amiserunt: ex *annonae difficultate*, quae superiori *quinquennio*, cum ad *thalerum* in singulos *modios* peruenisset, *Hennebergiam* nostram, simulque *cimelion* eius *veteranum*, *Gymnasium*, grauiter afflixit. Praeter communem hanc sortem etiam alia, *propria quasi*, fuit, erepto *Praeceptore Classis ultimae*, & mortuis de grege nostro nonnullis *hyeme* illa anni 1700. *vicinia*, *vrbi* nostrae & *Gymnasio* morbofa. Quorsum non facere possum quin referam *alumnos*, qui contra *disciplinam* se gerere, & *sanctas* euertere *leges* voluerunt: aut *valedictione* & *fuga* turpiter elapsi sunt, hanc *inobedientiae* suae
 sca-